

Apostolicam. Ita ex Const. Sixti V. *Cum de omnibus*. Excipitur casus quo religiosus ob gravamina a Superioribus sibi illata volens ad Sedem Apostolicam confugere, probare potest testium proborum fide, Superiores denegasse expostulatam licentiam. Ita idem Sixtus V. in Const. *'Ad Romanam'* adnexa eidem Constitutioni *Cum de omnibus* § 20. Pariter ex eadem Const. *Cum de omnibus* uti fugitivus considerari et tractari nequit religiosus in casu quo ipse discedens ex monasterio plene cognoscitur ab illis apud quos divertit ita ut nulla dubitatio aut suspicio contra religiosum de irregulari discessu concipi possit.

46. Apostatæ proprie loquendo illi sunt qui religionem illegitime deserunt absque animo ad eam redeundi. Fugitivi et apostatæ tenentur 1^o. ad observantiam trium votorum substantialium, et aliarum obligationum proprii instituti. Hinc quoad votum obedientiæ, quoniam de facto superiorem actu non habent, illud frangunt per peccatum in causa, scilicet protrahendo reditum ad religionem. 2^o. Arg. c. 2. *Ne clerici vel monachi in* 6^o. Fugitivi et apostatæ habitum dimittentes, sunt ipso facto excommunicati. Qui vero non dimiserint habitum non incurrunt hanc pœnam nisi expresse statuta fuerit in Constitutionibus ordinis approbatis a S. Sede. De hac vero pœna excommunicationis latæ sententiæ silet Const. *Apostolicæ Sedis*. Hinc ex jure communi non amplius viget. Vigere autem potest in peculiaribus ordinibus religiosi si de eadem caveant regulæ a S. Sede probatæ. Summus enim Pontifex integras voluit permanere pœnas in regularium ordinum constitutionibus descriptas. 3^o. *Quamdiu manent extra monasterium privantur omnibus privilegiis sui instituti* c. 19. *circa fin. sess. 25. De Reg. in Tridentino*. 4^o. *Juxta c. 4. sess. 25. De Ref. in Tridentino* Religiosus qui quolibet prætextu absque licentia superioris in scripto accepta repertus fuerit, ab ordinariis locorum tamquam desertor sui instituti puniendus est. 5^o. Ex decreto Urbani VIII. *cit. diei 21. Sept. 1624* fugitivi et apostatæ, sive habitum regularem deferant sive non, possunt ab Episcopo loci ubi moram trahunt in carceres conjici et Superioribus consignari, ut secundum instituti regulam puniantur. 6^o. *Ex c. 3. sess. 6. De Ref. in Trid.* quicumque regularis degens extra monasterium, si deliquerit, ab Ordinario loci tamquam Sedis Apostolicæ delegato visitari, puniri et corrigi potest. Superiores vero regulares juxta c. *ult. h. t.* tenentur conquirere et revocare fugitivos et apostatas. Hæc obli-

gatio in genere adhuc viget, licet non amplius annualis revocatio faciendâ sit ob contrariam dispositionem ex temporum circumstantiis inductam. Superiores insuper possunt etiam uti vi coactiva pœnarum ad reducendos in monasterium fugitivos, et apostatas, immo et ad brachium sæculare confugere. Conferantur decretum Urbani VIII. et decretum Innoc. XII. apud Pettella *Canones et Decret. Conc. Trid. ad c. 19. sess. 25. De Reg. II. 21. et 25.*

TITULUS XXXII.

De conversione conjugatorum.

1. Conversio in titulo exprimit efficax conjugatorum propositum ingrediendi, et profitendi religionem vel ordinem majorem suscipiendi. Et 1^o. quoad ingressum et professionem religiosam. Ante consummationem potest unus ex conjugibus religionem approbatam ingredi altero conjuge etiam invito, et in religione profiteri. Textus est clarus in c. 2. *h. t.* cui concordat c. 1. *eod.* Ex cap. 2. conceditur cuique conjugi bimestre ad deliberandum, utrum velit in conjugio manere, vel ingredi religionem. Hinc intra hoc bimestre neuter conjugum tenetur reddere debitum conjugale et matrimonium consummare. Hoc vero bimestre ex sensu cap. 2. incipit decurrere a die termini præfixi a iudice, quo bimestre elapso altera pars potest jure meritoque cogere conjugem ad consummandum matrimonium. Professione autem votorum solemnium emissa ante consummationem matrimonium simpliciter ratum dissolvitur. Hinc altera pars remanens in sæculo potest ad alia vota libere transire cap. 2. *h. t.* et can. 6. *sess. 24. De Matr. in Trid.* Si quæretur cur uni ex conjugibus ante consummationem matrimonii detur facultas ingrediendi religionem et in eadem profitendi etiam altero invito; respondent DD. quia ex una parte verba Christi Domini *'Quod Deus conjunxit, homo non separet'*, intelligenda sunt de matrimonio rato, et consummato c. 7. *h. t.* ex altera vero ministerio juris post dispositionem dicti cap. 7. *h. t.* contractui matrimonii inesse censetur conditio: *'Nisi statum perfectiorem intra bimestre suscipiam'*. Ideoque antequam matrimonium per consummationem constituatur in plena expressione significationis unionis Christi cum Ecclesia, idest in perfecto esse sacramenti, conditio illa vim suam conservat, ita ut si subsequatur professio religiosa quæ actuat conditionem eandem, matrimonium ratum dissolvatur.

2. Notandum vero est DD. non denegare facultatem ingrediendi religionem uxori, si infra bimestre non obstante manifestatione consilii sui de ingressu in religionem approbatam, per vim a viro cognita fuerit. Nemo enim per vim legitime expoliatur jure suo. Hoc vero in casu pars quæ in sæculo remanet, non potest ad alia vota transire, matrimonium enim cum sit ratum et consummatum non solvitur per religiosam professionem.

3. Consummato matrimonio, etiam alteruter conjugum ingredi, et profiteri potest religionem. At plures conditiones requiruntur 1º. ut altera pars consentiat *c. 1. h. t.* Consensus autem debet esse liber: hinc non valet si per fraudem aut per vim et metum fuerit extortus *cc. 16. 17. h. t.*

4. Quid vero si alteruter ex conjugibus altero conjuge invito, vel ignorante religionem professus fuerit? Ex *c. 3. et 12. h. t.* pars quæ in sæculo remansit potest revocare conjugem professum, et ipsa professio nulla est, ita ut, mortuo etiam conjuge in sæculo, non teneatur ad religionem redire. Ratio est, quia cum teste Paulo potestatem sui corporis non vir habeat, sed uxor, et vice-versa, hinc professio religiosa unius ex conjugibus ceu læsiva jurium alterius valere non potest. Qui enim professus est, promisit quod promittere non poterat.

5. At quamvis in casu professio religiosa non teneat, tamen aliquid operatur professio nulla. Conferenda sunt cit. *capp. 3. et 12. h. t.* Sciendum enim est in materia voti hoc valere principium, votum nempe fieri posse de bonis propriis non vero de alienis. Jam vero qui religionem professus est, vivente altero conjuge inscio vel invito, aliquid proprium habebat, nempe potestatem petendi debitum conjugale. Quare potuit huic juri renunciare ac proinde relate ad ipsum conjugem profitentem votum castitatis tenet. Invocari enim potest principium juris 'Actus si non valet uti ago, valere debet uti agere possum'. Hinc qui professus est manentibus prioribus nuptiis tenebitur utique reddere debitum ne jus alienum lædatur, non poterit vero petere, quia huic juri renuntiavit. Soluta vero matrimonio per mortem alterius conjugis, votum castitatis in tota sua extentione reviviscit seu nullam amplius patitur limitationem ex jure alterius. Quare votum emissum in religione obicem ponit quominus sine dispensatione novum matrimonium contrahatur. Ex modo autem loquendi Pontificis in *c. 3. h. t.* DD. inferunt votum hujusmodi non esse solemne sed simplex.

Quare impedit solummodo non vero dirimit matrimonium. Ita Engel in *h. t. n. 9.* Et merito; nam in ea conditione in qua fuit emissum reducitur ad votum non petendi debitum conjugale.

6. 2º. Præter consensum alterius conjugis requiritur ut alter conjux si adhuc sit juvenis, vel si superadultæ quidem ætatis, sed tamen in periculo incontinentiæ versetur, religionem ingrediatur et profiteatur. Quodsi unus ex conjugibus sit senex, et absque periculo incontinentiæ, tunc ipso in sæculo remanente, alter de ejus licentia poterit religiosum amplecti institutum. Qui vero remanet in sæculo debet votum perpetuæ castitatis in conspectu Ecclesiæ, seu coram auctoritate ecclesiastica et testibus emittere. Porro votum hujusmodi non est solemne, sed simplex in sensu canonum juxta *c. un. De voto in 6º.* et celebratur publice solum probationis causa. Hæc principia juris habentur in *capp. 4., 8. et 13. h. t.* Concordant *canones 19., 21. caus. 27. q. 2.*

7. Si quærat quænam ætas requiratur ut habeatur senectus ad effectum de quo agitur, communiter respondent DD. pro mulieribus esse ætatem 50 annor. pro viris annor. 60, quia post hanc ætatem ordinarie non est generatio. At melius judex seu Episcopus in singulis casibus videbit an periculum incontinentiæ verificetur vel non.

8. Animadvertendum vero est validam esse professionem unius conjugis, nec eum esse revocandum quoties alter amiserit jus petendi debitum conjugale. Hinc 1º. non est revocandus conjux religiosus si altera pars quæ in sæculo permansit votum castitatis emisit, sed poterit ab Episcopo compelli ut religionem ingrediatur si in florenti adhuc ætate sit, vel in periculo incontinentiæ. 2º. Si unus ex conjugibus jura matrimonii violaverit per adulterium, poterit altera pars, etiam suo conjuge invito, religionem ingredi et profiteri *c. 15. h. t.* Quod si pars, quæ adulterium admisit, velit religionem ingredi, debet assensum exquirere conjugis innocentis, qui, si assentiatur, tenetur emittere votum castitatis temporaneum seu quoad vixerit pars adultera quæ religionem professa est. Ita decisum est a S. Congr. Conc. in *Januensi diei 2. Maji 1722* relata a Giraldis *comm. in c. 8. h. t.* ex *Thesaur. Resolutionum S. Congr. tom. 2. p. 164.*

9. Pauca de altera conversione conjugatorum ad ordines sacros.

Non loquimur de græca Ecclesia, quæ non agnoscit omnem incompatibilitatem status conjugalis cum majoribus ordinibus Episcopatu inferioribus. Loquimur solummodo de disciplina Ecclesiæ Latinæ. Primo certum est ordines majores impedimentum utique dirimens constituere relate ad matrimonium contrahendum, non vero dissolvere matrimonium contractum, licet solummodo ratum, quia privilegium dissolvendi matrimonium ratum solummodo professioni religiosæ concessum est eo quod conjux professus censetur veluti mundo mortuus. *Extrav. Antiquæ Joann. XXII. De voto.* Hinc si vir inscia vel invita uxore ordines majores susceperit ordinatio utique valida est, sed illicita, et poterit vir ab uxore revocari, quia non amisit jus petendi debitum. Vir autem amittit jus suum petendi *cit. Extrav. Antiquæ De voto.* Quare mortua uxore nec licite nec valide novum potest vir matrimonium contrahere, sed tenetur vel ad statum clericalem regredi, vel religionem ingredi. Unde ut vir possit ad ordines promoveri 1º. debet obtinere consensum uxoris suæ. 2º. Uxor si juvenis sit ingredi religionem et solemniter profiteri tenetur. *c. Episcopus 6. Dist. 77.* Quod si vero sit in ea ætate in qua nulla habeatur incontinentiæ suspicio, poterit uxor in sæculo permanere, sed emittere debet votum simplex castitatis perpetuæ; quod votum simplex ex *can. Seriatim 14. dist. 32.*, juxta ea quæ animadvertit *Bened. XIV. De Syn. Dioc. lib. 13. c. 12. n. 16.* prohibet uxori viro e vivis sublato, alterum matrimonium contrahere: quod si contrahat, irritum est ecclesiasticis sanctionibus, seu Ecclesia non recipit matrimonium hujus mulieris. Quare votum illud simplex reddit mulierem inhabilem ad contrahendum matrimonium, ac proinde voto solemnem æquiparatur. 3º. Si uxor consentiat virum suum consecrari in Episcopum ex *c. 6. h. t.* nullo modo potest in sæculo remanere, sed debet religionem ingredi, immo Episcopus consecrari non potest, nisi antea uxor ejus continentiam professa sacrum sibi velamen imponat, et religiosam vestem assumat.

TITULUS XXXIII.

De conversione infidelium.

1. In hoc titulo sermo est de conversione infidelium ad fidem catholicam. Ex *c. 36. Conc. Tolet. IV.* relato in *can. 5. distinct. 45.* necnon ex *can. 33. caus. 23. q. 5.* deprehendimus jus ecclesiasti-

cum præcepisse ut nullus invitus ad fidem amplectendam cogendus esset; cujus enim vult Deus miseretur nec inviti salvandi sunt sed volentes, ut integra sit forma justitiæ et meriti.

2. At ut fideles allicerentur ad veram fidem amplectendam, seu melius ne arcerentur ab eadem ob timorem damnorum, et jacturæ temporalium bonorum, plura videmus in conversorum favorem statuta in legibus canonicis. Et 1º. *cap. 2. inter extrav. com. De Judæis* Joannes XXII. præcipit rectoribus et officialibus regionum ad Apostolicam Sedem pertinentium ne Judæos conversos ad veram religionem, turbari sinant a possessione bonorum quæ tempore conversionis obtinebant. Huic decretali accesserunt *Const. Greg. XIII. et Const. Pauli III. 'Cupientes' 21. Martii 1542* confirmatæ et ampliatae a *Clem. XI. in Constit. 'Propagandæ per universum' 5. Idus Martii 1704.* Ex quibus patet a) non solum ex judaismo, sed omnibus infidelibus ubicumque ad fidem conversis concedi ceu privilegium fidei et pro causæ piæ titulo facultatem retinendi omnia bona etiam illicite, seu ex usura alioque malo quæstu acquisita, dummodo notæ non sint personæ quibus restitutio faciendæ esset; b) conversos eximi a patria potestate; c) gaudere privilegiis communibus civitatis; d) conversos non posse a parentibus exhæredari aut ullo modo privari illis bonis sive paternis, sive maternis quæ conversis iisdem debita erant de jure, seu successione quamvis fidem amplexi fuerint contra parentum voluntatem.

3. His expositis in genere explicanda est theoria canonica quæ exhibetur in titulo prout refertur in *Decret. Gregorii IX.* Duplex in titulo caput extat.

In primo sermo est de impedimento criminis infidelium relate ad matrimonium contrahendum post conversionem. Quæsitum est a *Cœlestino III.* 1º. an valeret matrimonium contractum a christianis mulieribus cum Saracenis, qui ex cruciatis bellis facti captivi commorantes in domibus Christianorum, ex machinatione mulierum interfecerunt earum viros, et conversi ad fidem easdem in uxores acceperunt. Respondet *Cœlestinus* non valere matrimonium hujusmodi. Ex quo deducunt DD. impedimentum criminis, licet juris ecclesiastici, oriri in casu etiam ex facto, quod ab homine adhuc in infidelitate constituto positum est. Ratio est, quia agitur de mulieribus fidelibus et de viris qui ut matrimonium contrahere possent, debebant ad fidem converti. Quamvis ergo leges

Ecclesiæ non obligent infideles, tamen ex eo quod in casu una pars ex contrahentibus erat fidelis, et factum ipsum habebat relationem ad fidem jure statuit Cœlestinus crimen patratum ab infideli constituere impedimentum dirimens christiani matrimonii.

2º. Proposita est species de quibusdam mulieribus christianis quæ nupserant Saracenis conversis ad fidem a quibus earum viri in bello fuerant pugnando interfecti. Qua in specie respondit Cœlestinus matrimonium valere nec posse mulieres istos conversos, ceu non legitimo matrimonio sibi conjunctos deserere.

4. In *c. 2. h. t.* species est de Judæo ad fidem converso, remanente ejus uxore in infidelitate, et statuit Greg. IX. puerum ex matrimonio in infidelitate natum post triennium ætatis suæ apud patrem educari debere. Hanc Const. Bened. XIV. in epist. *'Probe te' diei 15. Nov. 1751* extendit etiam ad casum conversionis uxoris, ita ut ob fidei privilegium filii qui in infantia aut pueritia constituti sunt, nec doli sunt capaces, debeant educari semper apud conjugem conversum. Nec aliqua injustitia admittitur, cum ipsæ leges civiles quamvis aliquando pro sexus diversitate patri, matrive filios attribuerint *l. un. C. Divortio facto, apud quem liberi morari vel educari debeant*, tamen ex justis causis præsertim ob suspectos matris mores filios omnes quamvis exuberantes soli matri educandos committebant. Ita *ll. 1. et 3. ff. De liberis exhibendis*. Jam vero major peiorque suspicio non datur, quam si filius doli incapax relinquatur sub potestate et directione parentis infidelis.

Diximus vero filium doli incapacem; nam si sit doli capax, cogendus non est ad religionem christianam sequendam, sed eligat cui ex parentibus vel infideli vel converso adhæreat: *cit. can. 33. c. 23. q. 5.*

TITULUS XXXIV.

De voto et voti redemptione.

1. Votum in sensu canonum est 'Promissio deliberata Deo facta de bono meliori et possibili'. Dicitur 1º. *promissio* ut distinguatur a consilio et proposito, quæ intentionem utique aliquid faciendi important, non autem secumferunt voluntatis decretum ad suscipiendam actu aliquam obligationem. Hinc qui non exequitur propositum utcumque firmiter et efficaciter conceptum in materia indifferente, idest nec vetita nec præcepta, peccati reus non est

c. 3. h. t. Dicitur 2º. *deliberata* quia scilicet ad votum concipiendum requiritur perfecta animadversio seu cognitio objecti promissionis. Hinc indeliberata et minus considerata sponsio votum dici nequit, sed est potius aspiratio quædam voluntatis spontaneæ non ex consilio rationali, sed potius ex motu instinctivo procedens. Quare sponsio hæc est potius opus phantasie et imaginationis quam rationis et intellectus. Pariter libera debet esse voluntas. Ea vero sufficit libertas voluntatis quæ sufficit ad peccatum patrandum. Verum communis doctorum arg. *c. Veniens 5. Qui clerici vel monachi*, tenet vota emissa sub metu gravi injusto esse irrita, adeoque non indigere dispensatione. 3º. *Deo facta* vel immediate, vel mediate seu immediate facta sanctis. Deum vero semper respicere debet votum quia est actus religiosus et ad cultum pertinere dicitur. 4º. *De bono meliori*. Hæc verba non significant objectum voti esse semper bonum perfectum aut optimum. Nam omnes conveniunt objectum voti esse posse rem simpliciter honestam, immo et rem de se indifferentem, quæ vero ad bonum finem dirigatur. Igitur votum de bono meliori fieri dicitur 1º. quia promissio de re honesta non debet impedire prosecutionem majoris et perfectioris boni. Sic ex. gr. regulariter non valet votum de matrimonio contrahendo quia melior est continentia et status religiosus. Igitur votum fit de meliori bono negative, quatenus meliori bono obviare nequit. 2º. De meliori bono fit votum etiam positive, quia res etiam simpliciter honesta eligitur ceu medium animam perficiendi. Scilicet obligatio de re honesta suscipitur quia pro vitæ spiritualis utilitate judicatur melius esse actionem aliquam simpliciter honestam ponere quam non ponere. Tandem *De bono possibili*. Et enim impossibilium nulla est obligatio, sive impossibilitas sit moralis, quæ exurgit ex prohibitione legis, sive sit physica, quæ est ex incapacitate virium et defectu proportionis medii ad finem. Qua in re animadvertendum est impossibilitatem ex defectu virium et capacitatis aliquando reduci ad magnam difficultatem qua res arduæ dicuntur impossibiles. Hoc in sensu impossibilitas sumitur cum sermo est de possibilitate legis applicandæ universæ communitati. Quare lex nimis ardua, seu quæ maximam secumfert difficultatem imponi nequit populo. Hinc quod optimum est sub lege non cadit. At cadere potest sub consilio ac proinde potest esse materia voti. Immo votum potest comprehendere etiam id quod exequi non potest suis ordinariis viribus, sed indiget aliqua gratia